IN NVPTIAS ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, D. GEORGII GVSTAVI, COMITIS Palatini Rheni, Ducis Bavariæ & Comitis Veldentiæ,

ET

MARIAE ELISABETHAE, ILluſtriſsimi Principis & Domini, D. IOHANNIS Comitis Palatini Rheni, Ducis, Bavariæ, Comitis Veldentiæ & Sponhemij, &c. Filiæ, quæ celebrabuntur Deo bene favente, die XVII. Maij Biponti, Anno MoDerata CogIta.

Carmen Scriptum

à M. PANTALEONE CANDIDO Auſtri: Paſtore & Superintend: Biponti.

Præmiſſa eſt
Genealogia Familiæ Comitum Palat: Rheni, Ducum Bavariæ. &c.

Biponti, per CASPAR: WITTELIVM.
Anno Chriſti M D C I.

Synopſis Stirpis Caroli Magni & Comitum Palatinorum Ducum Bavariæ

Antenor. obiit ante Chriſtum natum 440.

Marcomir. O 412. Sunno. Pantenor.

Sicamb: Reg: 1 Antenor, 2 1 Rex Sicambrorum.

2 Priamus. O 356.

3 Helenus.

4 Diocles. O,298.

5 Helenus 6 Baſanus. O,248.

7 Cleodomirus Vxor, Irmanfrid, Fil: Reg. German:

8 Nicanor. O,1 68.

9 Marcomir, 2. O,168. Priamus. Helenus.

10 Clodius.

11 Antenor, 3. O: 131.

12 Cleodomir.

13. Merodatus.

14. Caſſander. O: 44.

15. Antarius. O: 27.

1. Francus. 1 Rex Francorum. O: An: nati Chriſti, 2.

Francor: Reg: 2. Clogio. O: An: Chriſti, 19.

Herrmer:. 4 Marcomirus. 3. Friſius O. 50.

5. Cleopomir.

6. Antenor, 4. O: 68.

7. Ratherus.

8. Richimer.

9. Odemarius. O: 127.

. Marcomirus. Vx. Arildis, Brit: Re: F.

Marcomi: Clog: Frã: Cleodom. O: 165. Meroda ab apro occiſ: &c Franc:

Nicanor Friſi: Dux. 12. Farober: Roricus ſubmerſ: prope Noveſium.

13 Sunno. O: 221.

Hildercus. O: 261. Mutata inſignia.

Barterus. O: 279.

Clodius.

VValterus

DAGObertus. Rex Francor: Oriental: O: 316.

Clodomir.

Richimir.

Theodomir.

CLOgio Melobandus.

Marco

Marcomir.

1\. VVARAMVNdus, 1 Rex Franc.

2 CLODIVS COmatus. O: 446.

3\. Meroveus O: 458 — Albertus. Dux Alſat: Conſ: Argento.

4\. Childeric. — Vaubertus O: 528.

5\. CLODOue: M. 1 Ba: — Anſelbert: March. Antverp: O: 570.

7\. Clotarius. 1. — Anchiſes.

Sigebe: Rex Auſtraſi Hinc Arch. Du. Auſtriæ

Childer: Clotar: M Dag. M. Clodo. M Hinc Chilper. ſtuppidus Cui Pipin. ſurrogatus.

S. Arnolphus.

Anchiſes. — S. Clodulph: Prin: Auſt:

Pipin. Dux Braba: — Martin:

CAROlus Martel: — Childebra:

Pipinus Brevis. — Theoderic: Saxon: Præfectus: ſub Caro: M. O: 780.

Robert: : D: Andi: occiſ: 875.

Carlus M. *

Robertus, 2. Comes Pariſienſi:

Hugo, M. Dux Fran: Comes Pariſ.

HVGO CAPETVS
Hinc Reges Galliæ.
Et nunc Heinri: 4,

*CAROLVS. MAGNVS. I. IM. 800.

Carolus. R: Germ: Pipin: R: Ital: 2. Ludovic: Pius. Imp:

3. Lotar: I: PipiD: Aqui: Ludovic: I. Germani:

4. Lud: 2. I: Lota: r: Lo: Car: r: Pro Carlomā: r: Ger. Lu: d: Fr: & bav: 7. Caro, Craff. Im

Lot: C: Pro: Hug: d: Lo: 8. Arnol: Im: R: Bava: 869.

Hugo. 9. Lud: Im: Arno: mal: 937

Eberhar Marchio Austriæ | Arnol: 2 Pala: Scirenſi: ab, affi: Hē: occiſ: 954 | Hemā: | Iudith vx: Hē: Sax: cui ab Otone Im: fratre, Bavaria data

Bertol. C: Pal: LandgraBavSci. 976 VVernerus

Babo. I.

Oto I Scirentis

Oto. 2. Vx: Hezila. R: Arrag: F | Arnolph. Hine Dachē: Co:

Oto. 3.

Oto 4. O: 1183

Oto. 5 Maior Vit: d: Ba: Fri: Ot: min: Vitels.

Ludov: in Kel: occi: Oto Illu: ... | Oto ult: occi: Phi: Im: Hinc Syl: C:

5:Carol : Im: R : Frã:

6. Ludovi:3. Balb:Im:

Carol. D Aqitan:

Carol·Simplex.

Carlmã: R: Frã: tutor.

Ludo:4 Trãſmar:

Ludo: inutil: R. Frã:

Lotar:4.

Carol: D: 1. Lotar:

Ludovi.5.R:

Oto.D:2· Lotaring:

Nota. 10. Cõrad
1: Im: Hërico
Aucupi Nepoti
Arnolphi Imp
ex F: Ludgarda
Inſignia Impe
rii miſit.

Babo Magn:

VVolfram:
Hinc Abuſini
Comites.

HardvviK.
Hinc Bog-
doues Co:

Rupertus.
Hinc Roteg
burg: Co:

OTO Illuſtris: Eleꝺ.

LVDOvicus. 2.Sever: Eleꝺ: O:1294

Ludovic: in baſtdud: loeſ Rudolph: 1, Eleꝺ: à Fra. pulſ:

Adolph: E. Rud: E: Ruper: E: Acade: Heid:

Rupert: 2. El: VVenceſla: impetit

RVPERTVS, Imp: El: O:1410.

Ludo: Barb: E O:1436. Rup: Pi STEPHANus. o:1458. Vx: Aã: Hæ. Vel: Spõ:

Ludov: 3 E: Fri: Viꝺ: Ru: Ep: Co. FRIde: Simer: LVdo: Nig. D, Bip: O:1489.

Philip: Ingenu, E. Vx. Marg: Lt: di F. Iohannns 1, O:1509. Alexander: Dux: Bip: O. 1514.

Lud: 4. El: Pa- cific: Rup: Virt v: El Fri: 2, E: 3, Epis: Iohannes. 2. O:1557. Lvdovic: Dux Bip: O: 1532.

Otto-Hein: El. O:1559. Philip viẽnã FRidr 3. E:1576 Ge-Ri ch: VVOFGãg: D: Bipõ: &Neobur: O:1569

Ludo: 4 E1583 Ioã-Ca 1592 Phi: Lu. IOã: OtH: Fr: Ca: &c

Vide, B. C D E F.

Fride: 4. El: Vide, A.

Heinr:D:Bav:Inf:

LVdovi 4. Imp.
D. Bav:o:1347

Oto: R:Vng — Steph: Ep:O 1312 — Lud.

Ludo:Mar Brād El — Stef. Lu Ro. — Alb:C.Hol

Steph:2. — Frid:Sāp:Lādsh — Iohan:Mona: — Vil — Io Al: — Hēri — Hēr — Oto

Lud:Bar: Ioā Eli — Hēr:Di:o:1445 — Ernest O:1438

Ludo. Gib — Ludo:Di:o:1479: — Alb.Mon:O:1460

Geor,Di.O.1503 — Albe.2 1508 Ioā. Sig Chri Volfg. Eliſ. v.ErESax

Eliſ:vx:Ru.BelBaV — Vil:D.vtri: Lu:Inf Erne.Syb..Suſ&c

RVpert:C.Veld:Lautr O.1544. — Alber.O.1579.

Georg-Iohannes O.1592. — VVilhel,O.1548. Fer. Ern.E.Co.M...iax.

GEORG-GVSTA: Sponſus. — Ioānes-Auguſt — Lud-Phil. — Georg Iohān — Max. vid. G. — Mari-Au. — Phi.Ep.Ra. — Fer. — Albe.

A	B	C	D	E	F	G
||	PHilippi Ludovi-ci Liberi	IOhannis Libe ri.	Otonis Henri Lib.	Friderici Libe ri	Caroli, Libe ri.	Maximil lia: Li beri.
Fridericus 4. El.	An: Ma ria. N. 1575	LudVVil hel N. 1580.	Ludovi cus N. 1584.		Georgius-VVilhel N. 1591.	
Eius Li beri	Dorot Sabina	Maria Eliſab. 1581 Sponſa.	Anna Eliſab 1585		Frider-	
Frideri:	VVolf-VVilhe 1578.	Anna Madal	Georg Fride 1587		Chriſti	
	Ot-Hẽ	IOhãn 1584				
	Auguſt					
	Amal-Hedvvi	Fride-Caſimi				
	Johan-Frid. 1587.	Eliſa-Doro				
		Johãn-Caſimi				
		Amal-Iacoba				

Illuſtriſsimis Principibus & Dominis, Domino IOHANNI, & Domino GEORGIO-GVSTAVO, *Comitibus Palatinis Rheni, Ducibus Bavariæ, Comitibus Veldentiæ & Sponheim, Dominis meis clementiſs.mis.*

S. P.

QVæ ab illuſtriſsima & clementiſsima familia Palatina, in me profecta ſunt beneficia, Illuſtriſsimi & Clementiſsimi Principes, ea tanta & talia ſunt, ut ſi pro ijs nulla pietatis & gratitudinis indicia præberem, improbus meritò, nedum ingratus eſſem iudicandus. Iam olim enī & puer adhuc, & peregrinus, ab Illuſtriſſimo Principe Wolffgango, cuius memoria ſit ἐν ταῖς εὐλογίαις. inter Scholarum alumnos ſum receptus, & in ijs ſuſtentatus, ab eodem etiā & abs te Illuſtriſsime, Princeps Iohānes, in honeſtæ, & in hanc, qua verſor, functionis provinciam.

ſum collocatus, & hactenus, quibus uſus ſum, vitæ ſuſtentandæ adminiculis, ea Celſitudinis tuæ liberalitati accepta ſunt referenda. Tui etiam Illuſtriſsime Georgi-Guſtave Illuſtriſsimi quondam Parentis, piæ & auguſtiſs: memoriæ, & aliorum Ducum Palatinorum, non nulla beneficia ſum expertus.

Quòd igitur vivo, quòd honeſto loco, quòd piè, quòd neceſſarijs utcunque inſtructus rebus vivo: id omne ſecundùm Deum veſtræ familiæ & munificentiæ me debere lubẽs fateor. Magna iſthæc ſunt, mihiq; longè maxima, ſunt verò & potiora, & ſublimiora, & publica, propter quæ, à me, & alijs veſtræ familiæ, gratitudo debetur: merita nempe ampliſsima atque innumerabilia illa, quæ à vobis & veſtris majoribus, in Eccleſiam Filij Dei, in totum Rom: Imperium, & in ipſam patriam collata & profecta ſunt, aſſertæ religionis, pietatis, bonarum legum, honeſtæ diſciplinæ, & cæterorum beneficiorum, quibus vitæ humanæ ſocietas & converſatio carere non poteſt; quorum operum ergo, Principes, ſcuta terræ Pſalmo 46. v. 10. & nutritij Eccleſiæ appellantur, ac ſecundum vulgatum dictum illud: χρηςὸς ἐν τῷ κοινὸν ἀγαθόν. Commune, vir bonus, eſt bonum.

Cum igitur intelligerem, anguſtiſſimas nuptias, inter te, Illuſtriſsime Princeps Georgi-Guſtave, & inter tuam, Illuſtriſsime Dux Iohannes, Illuſtriſsimam Filiam Mariam Eliſabetham, conciliatas, & nunc, Deo bene favente, celebrandas eſſe: uſuq; receptum ſit, ut novis nuptijs, fauſtiſsima quæque comprecemur: equidem non minus pium quàm juſtum eſſe putavi, hac in parte, qualemcunque gratitudinis, erga familiam auguſtiſsimam, tenui meâ opellâ, ſignificationem declarare.

Quod igitur facere inter privatas meas moleſtias, hoc tempore, ſatis anguſto, potui: exile carmen hoc ſcripſi, in eoque ea annotavi, quæ ad gloriam veſtrorum majorum, & ad veſtram quoque laudem veriſsimam pertinere videbantur. Id vobis, Illuſtriſsimi Principes, Domini mei Clementiſsimi humiliter offero, &, quâ, par eſt, reverentia peto, ut id ſerena quod dicitur, fronte, ſuſcipere, boni conſulere, & ſolitam in me, meoſque clementiam, ut in poſterum etiam benignè retinere dignemini. Deum Opt: Max: toto pectore precor, ut & vos & totam familiam Palatinam, ſalvos atque incolumes diutiſsimè conſervet,

& coniugio huic benedicat, ut ad divini ſui nominis gloriam, Eccleſiæ ſalutem, & ad patriæ, veſtramque felicitatem cedat & dirigatur. Amen. Biponti. 17. Maij, Anno, MoDerata CogIta.

VV. CC.
Addictiſs:
& humilim:

M. PANTALEON CANDIDVS.

Elias Thalvvencelius, Illuſtriſsimæ Iuventutis Palatinæ in aulâ Bipontinâ Præceptor.

HEroum priſcas verſu deſcribere ſtirpes
Ingenium poſcit, poſcit & eloquium.
Ergo PALATINO id cumprimùm in ſtemmate præſtes
PANTALEON, laudem primus utramq; feres.

In Nuptias

Illuſtriſsimi Principis & Domini. D. GEORGII GVSTAVI Comitis Palatini Rheni Ducis Bavariæ, Comitis *Veldentiæ &c. Et MARIÆ ELISABETHÆ Illuſtriſsimi Principis & Domini, D. IOHANNIS Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, Comitis Veldentiæ & Sponheim. Filiæ.*

ILluſtres thalamos & præcellentia ſancti,
Iura tori, læta ſeſe oſtentantia pompâ,
Iura, Bipontinâ quæ concelebrātur in urbe,
Dum Ducis eximii, eximiam de ſtemmate
Natam,
Dux parat eximius, ſacratam ducere ad arã,
Verſibus expediam paucis. Tu maxime gentis
Chriſtiadum, Sponſe & Ductor, Dux optime Chriſte,
Dexter ades, Sacrumq; tuo, hoc, cum Numine firma.
Sic tibi, perpetuos, gens dedita, duret in annos,
Et natos, & natorum ferat usq; nepotes.
Sponſus adeſt magnis clarus virtutibus Heros,
Cui Pater, & Matris genitor dedit eſſe Georgiô-
Guſtavo, regum claro de nomine nomen,
Orto è Cæſaribus patris alto à ſanguine ſponſo.
Sponſa venit, cui ſancta Dei, cui ſancta Iohannis,
Impoſuit Genitrix ſanctiſſima nomina ſponſæ.
Ortæ à Cæſaribus utroq; à ſanguine ſponſæ.

 Per

Per terras, quà Phœbus equis ſe tollit Eoïs,
Quà procul Heſperias iterum ſe condit in undas,
Quaq; calens atris pingit nigroribus Afros,
Quaq; die, totum, & nocte unâ conficit annum,
Nota Palatinæ laus eſt & gloria gentis.
Majores ſed qui terra Germanide quondam,
Extiterint, aut quo dicti ſint nomine tandem?
Vnde Palatinæ producta eſt gentis origo,
Haud exploratum ſatis indagantibus extat.
Certum eſt præſtantes illos, magnoq; fuiſſe
Corde animoq; viros, longè & mortalia ſupra
Ingenio ſapuiſſe, alta & monumenta dediſſe
Virtutum, hos tantos qui progenuere nepotes.
Arca Noe cunctis mortalibus extitit alvus.
Vnius à claro Iâpeti ſanguine cuncti
Iâpetionidæ, ſeries ampliſſima gentis,
Progreſſus habuére ſuos, & ſtemmatis ortum.
Quidam à primævo ſpecioſa Tuiſcone, tantæ,
Auſpicia enumerant, & prima exordia ſtirpi,
Et Mannum faciunt, Marſum, Suevumq; parētes,
Herculis & nomen qui geſſerit, ac Alemannus
Audierit, de quo Bojus, Francoq; ſuperbus,
Ac Hunibaldi omnis ſoboles deſcenderit, unde,
Magnanimos tandem veniatur ad uſq; Pipinos.
Aſt alij à veteri natos Antenore dicunt
Eſſe Duces, qui nunc Europæ in partibus orbis,
Dant iura, & populos moderantur legibus æquis.
Vtilia hi patriæ geſſerunt plurima Reges,
A doctis quæ cùm non ſint conſcripta Camænis,
Ignorata latent, tenebris immerſa profundis.
Qui ſparſam Sylvis inter ſpelea ferarum,

Origo Palatinorum.

Con-

Collegere hominum gentem, ſocijſq; dedere
Contiguos habitare Lares, & vivere junctim,
Quiq; novas certis firmarunt legibus urbes,
Barbaricosq; coëgerunt deponere ritus,
Mortales, divûm & ſanctos addiſcere cultus,
Næ illi perpetuæ meruerunt nomina famæ,
Si tamen illorum nunc noſci nomina poſſent.
Nam venerandorum caruerunt munere vatum,
Munere, quod meritis donat mortalibus ævum.
Magnanimi Proceres, exemtaq; pectora vulgo,
Vos, quibus humanæ eſt cuſtodia credita gentis,
Digna cani gerite, & ſacras ne temnite Muſas,
Quæ veſtrum poſſunt ſervare à funere nomen.
Totius Imperio Europæ, qui præfuit unus, Carol. M. imp.
CArolus, ac ideo tulit inclita nomina Magni.
Rex regũ ille, pater ſponſo eſt, atq; ultimus autor,
Rex regũ ille Pater ſponſæ eſt, atq; ultimus autor.
Filius huic, ingensq; nepos, Ludovicus uterq;. Ludo. Pius.
Et pietas, & cui dederat Germania nomen. Lud. Germanic.
Carolomannus at huic, rector Germanidos oræ,
Romani Imperij ſucceſſit in ordine Cæſar. Carolomã. Imp.
Clara jacet regio latis ampliſſima campis,
Iſter ubi Lechi properantibus auctior undis,
Ad Neopyrgi altis ſublimes turribus arces,
Ac Ingolſtadij fortiſſima mœnia caſtri, Bavaria.
Fertur aquis, dein Kelhamî cava littora pulſans,
Inde Ratisbonæ præfortem flumine pontem,
Subter obit, Straubingẽſem & procul alluit urbẽ,
Et ſinuoſa premit Patavinæ mœnia ſedis,
Donec arenoſi perfunditur amnibus Oeni,
Inferiusq; Anaſi, qua defluit, accipit amnem.

Quaq; Oeni ſupra pulcros, terra optima, ſaltus,
Fæcundo innumeras gremio complectitur urbes,
Landshut. Vt, quæ totius dicta eſt cuſtodia terræ,
München. Et quæ de Monachis eſt appellata Monacum.
Parte aliâ Boream verſus, ſolemque cadentem,
Vilſa metalli feras ſtagnato flumine cruſtas,
Parva trahit, rapidoque fluens æs liquitur igni,
Hinc vehitur ferrū terras prope Noricum in omnes.
Nec te Amberga vetus taceo, tibi debeo culti,
Prima rudimenta ingenij, quo tempore Princeps,
Principis ille vices regni VVolffgangus agebat.
Stat prope Sulzbacum, ſedes inſignis Otoni,
Henrico, ſtat Sudetes verſum, ardua, montes,
Culmina, Schvvandorfum, qua longis ſaltibus errans,
Danubii latas flectit ſe Nabus ad undas.
Bavariæ vetus hoc ſortitum eſt nomina regnum.
Dives opum, dives ſylvai, atque uberis arvi.
Hoc regnum, has terras Rex Carolomannus habebat.
Arnolph. Imp: Filius hinc patrijs Arnolphus præfuit oris,
Rex, idem Imperij Cæſar, poſt funera cuius
Ampla Ratisbonnæ monumenta videntur in urbe.
Luithold' ſeu Leopoldus. Nec te prætereo, quocunque es in ordine ſtirpis,
Certè inter primos Regis, Luitholde, fuiſti,
Arnolphi agnatus, patriæ tibi gloria cordi,
Relligioque fuit, Chriſtoque Deoque carentes,
Effera gens, gens tempore eo, implacabilis, Hunni,
Limitem agunt ferro, Germana in regna, tuasq;
Invadunt terras, vaſta & dant omnia, flammâ,
Non tu paſſus eos tantum exercere furorem,
Contra is, & magnis te opponens cominus armis
Funera das latè, jacet ingens ſtragis acervus,
Hoſtium,

Hoſtium, & hos inter quoq; tu fortiſſimus Heros,
Pro patria pugnans generoſa morte recumbis.
Felix qui patriæ, qui Relligionis amore,
Suſtinet infeſtæ, at laudatæ occumbere morti,
Prima Dei cura eſt mortalibus, altera laudis.
Aſt illi Arnolpho, quem dixi, Cæſari in amplis, Arnolph. malus.
Filius Arnolphus terra Bojaride regnis,
Succeſſit frater Ludovici Cæſaris. ille,
Quum foret externo Romanus ſanguine Cæſar,
Conradus, nec ei ſeſe ſubmittere vellet,
Hungarias profugus cum conjuge abivit ad oras.
Conrado è vivis ſublato, ad patria rurſus
Regna redit, preſſusque diu incurſantibus Vgris,
Vt dare militibus bello ſtipendia poſſet,
Redditibus Monachos paſſim privavit opimis,
Haud opus eſſe ratus tot obeſis ventribus, hinc eſt
Ille malus dictus cognomine, fulmina quorum,
Et diras, ab eis damnatus, ſenſit acerbas.
Nec procul à Patre, eſt Hemerani in mole, ſepultus.
Extitit huic magnis, Arnolphus filius, auſis. Arnolph. ab affine Henrico Cæſus. an. 954.
Præbuit huic diram ſeſe fortuna novercam.
Namq; ſuis bello cum fratribus obſtat Otoni,
Cæſari, & idcirco regni privatur honore,
Quod fratri patris eſt Bertoldo deinde tributum.
Et quia Scirenſis communijt atria caſtri,
Scirenſes ex hoc Comites ſunt poſtmodo dicti.
Arnolphus regnum invaſurus, denique victus,
Fortibus occubuit magnis bellator in armis,
Ad Ratis obſeſſæ clariſſima mœnia bonnæ.
Filius Vngariis ſævam VVernerus ab oris,
Evocat auxilio gentem, quò vindicet armis,

Ipſe ſibi regnum patriæ. ſtant ardua campis,
Agminaq; obnixæq; acies, ſubitusq; repentè,
Exoritur ſonitus cædentum & utrimq. cadentum.
Leche quot alte tuo vexiſti vortice vaſto,
Corpora cæſa virûm? quot barbara ſcuta ſub Iſtrû,
Traxiſti, Hunnorùm, prænuncia cladis, in oris?
Comparatio. Qualis ubi exiguam vulcani fortè favillam
Ille gregis cuſtos, rigido tutamen ab Auſtro,
Arboris ad truncum ſera de nocte reliquit,
Et ſubitò exoriens vehementior, acribus Eurus,
Flatibus inſonitet: latuit qui parvulus ante
Ignis edax, vento vires cùm accepit, ad altos
Sponte ruit ramos, glomerat face fulgidus æther:
Sternuntur gravidæ truncis prægrandibus Orni,
Sternuntur rutilo tendentia robora, cœlo,
Et tota in cineres deflagrans ſylva reſedit.
Bertold: Babo. Filius Arnolphi Bertoldus, & huic quoq; Babo,
Filius eſt. & ab hoc quinq; enumerantur Otones,
Oto. 1. Oto. 2. Ordine qui ſeſe graduum ſunt rite ſecuti.
Heziga. ux: Tertius in toto præcelſi nominis Heros,
Extitit Imperio, Scirorum & nomine miſſo,
Oto. 3. Ac VVittelſpachij magnas cùm munijt arces,
Deinde Palatini Comitis ſibi nomina ſumſit,
Bavariæ quod erat. Margravius inclitus oræ,
Heziga ei fuerat Clariſſima fœmina mater,
Ex Arragoniæ nata eſt quæ filia Rege.
Oto 4. Oto. 5. Vltimus aſt horum veteres ſortitus honores,
Dein poſt liminio nomenq; & regna recepit,
Bavariciq; Ducis rurſus cognomina ſumſit,
Italico quòd opem Friderico in Marte, tuliſſet,
Quem prior Henricus deſertum in Marte reliquit,
Qui

Qui Dux Bavariæ fuit ante & Saxonis oræ.
Dein Ludovicus ei regnis ſucceſſit avitis. Ludovic.
Hic ſummi ingentes tulit Electoris honores,
Dux ſapiens animi, belloq; expertus & armis,
Iuſtitiæ cuſtos, & ſervantiſſimus æqui,
Attulit huic fatuus tecta ad Kelhamia fatum.
Quam tibi cunq; Deus læto conceſſerit horam,
Extremam reputes, animis atque utere gratis,
Sorte Dei, ſimul eventus te accommoda ad omnes.
Fortunæ levis eſt converſio mobilis, auras
Transmittit celeri faciles uti muſca volatu.
Sic inconſtantes hominum ſors alterat horas.
Cecropius varijs inſidit floribus ales, Comparatio.
Noxius haud ulli, ſed pluribus utilis ales,
Ingenioſus agit vicijs ſine turpibus ævum,
Felici dignus vita, doctęque favore,
Palladis, & Divum tutela & mollibus annis:
Caſibus hic tamen eſt fortunæ obnoxius atris.
Quippe viam toties, regno Laribusq; relictis,
Floriferam per humū, per Dædala gramina multo,
Carpit circuitu, camposque pererrat apricos,
Invitante diem Phœbo, & ſuadentibus auris,
Lætus opum, lætus raptatæ corpore prædę.
Cùmq; ſuos toties repetiverit ante Quirites,
Deniq; non valet, heü, limen contingere amatum,
Crudelis fati imperio, ſonat aut gravis alto
Aura polo, ſubitis aut perſtrepit imbribus æther,
Deprenſumq; jugis, ſeü flumina propter, in altis,
Dejecit, letho luctantem & ſtravit acerbo,
Nec tempeſtatem præſagiviſſe ruentem
Iuvit, atrox aut hunc rictu demerſit hiulco

Quadrupes, inſidias tenero quas ſtruxit ad undas,
Aut infeſta volans roſtro captavit hirundo.
Qualia multa inſtant mortalibus undique fata.
Sic perit, heü, facili vis illa faviſtrua caſu.
Et miremur adhuc homines quandoq; malignis,
Vndarum immergi, tempeſtatumq; procellis:
Et ſortis quiſquam ſit inevitabilis expers,
Humanæ gentis? mortales pectore caſus,
Præcipe, quicquid & eſt fati tolerare memento.
Nec ſpem conſilii venturos differ in annos.
Victurum neq; dic te cras bene, quin decet iſthoc,
Turpia momento in melius tua flectere cepta.
Neſcis quo metam curſu contingere detur?
Fallax hora ſequens, incertus & exitus ævi,
Multa intermèdii volvunt incommoda ſoles.
Vna eademque dies vitamq; & funera, jungit.
Qui ſapis, ante oculos leti fata ultima habeto.
Reſpiciens qui ſis, ubi ſis, ubi deinde futurus,
Semper? & à pravis animo revocabere curis.
Oto Illu- ſtris. Poſt illuſtris Oto, ſeptem de illuſtribus unus,
Imperii, in magno ſedit pars magna Senatu.
Quæ fuit Henrico, verbis & moribus Agnes,
Nata Palatino Rheni Duce, vixit Otoni
Juncta Duci conjux, qua cum conſorte Ducatum,
Obtinuit lati ad contermina littora Rheni,
Cæſaris aſſenſu Friderici, & nutibus æquis.
Imperii & factus ſic eſt utriuſq; Dynaſta.
Bavaria Inferior fuit hoc cognomine dictum,
Illud quod ſupra eſt, dictum à regione ſupernũ eſt.
Hoc dedit Henrico regnandum deniq; Nato,
Inferius Nato Ludovico tradidit, illi,

Cui fuit à legum nomen gravitate Severo. Ludovic. Sever' E.L.
Idem Electoris titulos, nomenque gerebat,
Verborum orator, rerumque effector opimus. Rud. L. u. I:
Iſte dein lævâ Ludovicum à parte Monarcham, Ludo. Imp: Secund. F. Lud. Severi hinc linea Bavarica.
Romani Imperij præſtantem laude Monarcham,
Progenuit, cunctosq; Duces, quîs Bavara tellus,
Tempus ad hoc magnum ditiſſima ſervit ad Oenũ,
Tempus ad hoc latum cultiſſima ſervit ad Iſtrum,
Qui ſerie ingenti ex illo, multosq; per annos,
Iam terris latè paſſim dominantur in illis.
Idem ſed dextrâ, partuq; priore Dynaſta,
Rudolphum Rheni, eduxit Ludovicus, in oris, Rudoph. Primus F. Lud. Severi
Egregium facie & præſtantêm pectore Natum.
Exul hic Anglorum vitam finivit in oris, Ad: R. Rup.
Cæſareos fratri quòd detrectaſſet honores.
Hic Electores Elector & is quoque natos,
Tres habuit. minor ex illis lectiſſimus Heros,
Rupertus magnam meruit hoc nomine laudem, Academ. Heidelb.
Hoſpicio caſtas quod Nicri ad flumina Muſas,
Accepit, patrijs donum memorabile terris.
Filius at primus, ſimplex qui dictus, Adolphus, Adolph.
(Nempe quòd ingenuus, quòd honeſtus, & integer effet)
Rupertũ genuit, quem appellavére tenacẽ.
Ex hoc eſt genitus Dux præſtantiſſimus ille,
Rupertus, quem dexteritas, virtutis & ingens.
Gloria, ad Imperij ſummos evexit honores. Rupert. Imp:
Qui bello Italicas forti ſibi ſubdidit urbes.
Hic plures habuit Gnatos, unde exijt omnis, Lu: bar: Ste:
Quæ nunc ad lati cultiſſima littora Rheni,
Adq; paludoſum Neopyrgi in mœnibus Iſtrum,
VVeſtriacasq; ingens, dat jura, propago, per oras,

Gente Palatina ſata, cœlo æquanda propago.
Fama Palatinos conventu fertur in uno,
Triginta comites ſexus utriuſque fuiſſe.
Nunc quoq; quis numeret, ſuperant quæ pignora, gentis
Iſtius, egregia, & dulces à ſtirpe nepotes?

Ludo: barbatus, Ruperti Imp: F.

Primus erat magnis præſtãs Ludovicus in armis,
Ruperto genitus, nomen promiſſior illi
Barba dedit, decus is clari Electoris habebat,
Concilio illuſtris fuit is præfectus in illo,
Quo trux innocuum Conſtantia prodidit Huſſum,
Teutonicus Solymas Ordo defenderat arces,
Signa huic auxilio Ludovicus plurima miſit.
Iam ſenior linguam didicitq; ſonare Latinam.

Joh: frater Ludovici barbati.

Fratrer erat Ludovice tibi barbate, Iohannes,
Qui Neopyrgenſes frenebat legibus urbes.
Huic fuit egregius præcelſo pectore Gnatus,
Chriſtophorò cui nomen erat, memorabile nomẽ.
Ampla Lycaonia viſuntur regna ſub Arcto,

Chriſtoph: Rex Daniæ &c.

Danorum hoc, illud Suecorum eſt nomine clarũ.
Et quà perpetuos ſpirat Nordvvegia Cauros,
Illa Palatinum hunc rectorem ad ſceptra vocarunt,
Chriſtophorum, ex iſto nati ſunt ſanguine Reges,
Danorum qui nunc regni moderantur habenas,

Lud: mitis cuius fra: Frid: victorioſus.

Barbatus Gnatum Ludovicum, nomine mitem
Progenuit (Septem vir & is, fuit, inclitus Heros.)
Nec non & factis Fridericum audacibus acrem,
Vnum Electorum è numero, ſummiq; Senatus.
Hic trinos forti bellantes Marte Dynaſtas,
Cui ſal, cui thermæ, cui inſignia cornua cervi,
Victor ovans ſolus luce unâ in vincula miſit.
Dum juſtam juſto tutatus milite cauſam,

Ipſi

Ipſi Iſenbergo dignos defendit honores.
A Ludovico illo, Mitis cognomine, dicto,
Bojorum bello, qui paſſus acerba Philippus, Philippus ingenuus.
Prodijt Elector, cuius quoque deinde fuére,
Præſtantes magna virtute & pectore Gnati.
E quibus, heu, bellum ſenſit Rupertus acerbum, Rupertus.
Et vita, & rebus tandem ſpoliatus opimis.
Non æqui fuit aut virtutis amantior alter,
Hinc etiam à virtute tulit, laudabile nomen.
Magnus erat ſacræ Ludovicus pacis amator,
Magnus erat ſanctæ Fridericus legis amator,
Dorothea huic fuerat Danorum è Regibus uxor,
Adq; Novi tecta alta fori, ſua caſtra tenebat.
Extitit illorum Ruperti frater, uterque
Et tulit illorum decus Electoris uterque.
Quattuor at reliqui, pubes clariſſima, fratres
Religioſa Deo ſacratas vota per aras
Solennes caſta mitras in fronte gerebant.
Sicut Epiſcopios quivis ſit adeptus honores.
Ruperti Natus, fuerat cui nomen Otoni- OtoHenricus.
Henrico, ille viris è ſeptem ex ordine primus,
Imperij, pulſis doctrinæ erroribus ultro,
Idolisq; loco motis ſincera viciſſim,
Dogmata curavit paſſim per templa doceri.
Cumq; illo dedit hæc ſtirpi illi linea finem,
Illius & frater magna virtute Philippus, Philippus bellicoſus.
Threjicio obſeſſam tutatus ab hoſte Viennam, OtoHenrici frater.
Defenſam dedit, ut momento Martis in illo,
Chriſtiadû columen ſtetit omne, atq; alea, gentis.
Aſſyrijs quondam veniens è finibus hoſtis,
Senacherib Solymas numeroſo milite turres
Obſedit

Defendit Viennam Obſedit late circum, crebroq; trementes
Ariete concuſſit muros, ruit aggere toto,
Moles ſtrata ſolo, ſubitam dant ſaxa ruinam.
Quaq; patet properans ſuper aſtat & efferus Aſſur.
Nec minus & contra Ezechias ſe fortibus intus,
Tutaturq; operis, magna & vi ſuſtinet hoſtem,
Adjutusq; Deo, ſuperatum rejicit hoſtem.
Haud aliter ruptura ingenti ubi mœnia laté,
Quaſſa ſolo ruerent, ſubitoq; irrumperet hoſtis,
Fortia corda animis objecit, & arma Philippus,
Adjutore Deo & fugientem repulit hoſtem.
Gratia ſit Chriſto, ſit gratia digna Philippo,
Nulla tuas laudes tacitura eſt temporis ætas.
Stephanus Ruperti F. Cæſaris alter erat Ruperti filius, ille,
Qui Sponheimenſis Stephanus, Simmeriæ & oræ,
Imperium & clari tenuit ſublime Biponti,
Et Meiſenhemiæ ſpecioſi alta atria templi,
Condidit hic binos dedit uno è ſtemmate Natos,
Frideric. Simeren Primus erat, qui ſceptra tulit Simmeridos oræ.
Nomen ei fuerat Friderico. Filius huius,
Iohan Egregiusque nepos nomen tenuére Iohannis,
Muſarum caſtas dilexit uterque ſorores.
Iohan Huic verò in primis monumenta antiqua virorum,
Artificum, & docti ante alios placuére labores.
Ex hoc eſt genitus, qui dein Elector habebat,
Frider. 3. Pius. Imperium ſummas Nicri Fridericus ad arces,
Tertius, atque Pij accepit cognomine nomen,
Nanque patrocinium ſemper tulit ille piorum.
Illi religio ſemper fuit optima cordi,
Quodque dedit Chriſtus ſincerè diſcere verbum.
Qualis ubi hirſutis obductum vepribus hortum,

Ille videt longo jam tempore Villicus abſens,
Et pro fruge bona labruſcas cernit agreſtes,
Ringitur, & dextram præacuta armante bipenni,
Inſtat vi valida, & veteres radicitus imâ
Vertit humo truncos, foveam & melioribus explet
Stirpibus, aſt alibi ramos à matre reciſos,
Amputat, & ſteriles fæcundo germine penſat,
Tunc teneros dulci oblectamine paſcit ocellos,
Tunc lætos culta decerpit ab arbore fœtus,
Tunc olere & veſco, fruïturque ſalubribus herbis.
Sic ager ut Domini Zizania multa tuliſſet,
Perverſos ritus, perverſaque dogmata templis,
Dux hic legitimos plantavit poſtmodo cultus.
Ille reformatis Sacrorum ritibus omnes,
Ire procul, circum myſteria juſſit abuſus.
Ille piis ſanctas renovavit legibus urbes.
Ille pio cauſæ Zelo ſub pectore motus,
Auxilium Gallis miſit, qui vera ſecuti
Dogmata, nec vani deliria frivola Papæ,
Nec cultus Idolatricos per templa probarunt.
Sic placida in Chriſto compoſtus morte quievit.
Meta pijs melior contingitur ultima vitæ.
Filius huic Ludovicus erat, fortisq; Iohannes- Ludov: El: fra: Iohan: Caſimir.
Gallorum felix bello Caſimirus in oris.
Egregia hi veræ meruerunt nomina laudis.
Quid prodeſt homini vixiſſe in tempore, ſi non,
Egregijs meritis operumque potentibus actis,
Poſt obitum memori ſe commendaverit ævo?
At Ludovice tibi ſuperat clariſſimus Heros, Frider. 4. El:
Elector qui nunc Fridericus nomine quartus,
Imperat, & magnis regni ditionibus auctus,

Dives opum, dives virtutum & honoris abundans.
Laudibus ingenij cunctis ſublimior exit.
Sponte ſua ſanctis præbens habitacula Muſis.
Det Deus incolumem, & placidam illi vivere vitã,
Et donis ſemper laudum majoribus ornet.
Filius at Stephano ſatus eſt de patre ſecundus,
Lud. Niger Qui Ludovici habuit nomen, cognomina Nigri.
Quà Circella jacet curvæ ad ſaxa ardua Blieſæ
Quaq; Novum Spiram deſpectat culmine Caſtrũ.
Quaq; citam ſinuat Veldentia clara Moſellam:
Iſta Bipontinus ſorte obtinet omnia Rector.
Papa pius voluit Germani incidere nervum,
Imperij, ac Electorum vim demere juri,
Quando Moguntino præcepit Epiſcopo, ut absq;
Pontificis ſcitu Conventum haud cogeret ullum,
Imperij, (huic etenim Majeſtas competit illa
Officij, ſummum regni concire Senatum)
Idq; recuſaret facere Iſenbergius ille,
Præſul: ob id Papa hac illum de ſede removit,
Inq; locum illius Comitem delegit Adolphum,
Naſſoviæ illuſtri quondam de ſtemmate natum.
Facta eſt in geminas Procerum ſeceſſio partes,
Pontifici, ac ipſi Ludovicus adhæſit Adolpho,
Proq; illo forti libuit decernere ferro,
Atq; Moguntinam noctu ſubitò occupat urbem,
Vnde amplis victor ſpolijs ditatus abivit.
Attamen ad juſtam rediit victoria cauſam.
Quiq; Iſenbergus fuerat, quoq; deinde remanſit,
Ex hoc Sponſus habet celebrẽ, & Sponſa illius ortũ.
Quippe fuit Ludovico illo de Principe Princeps
Alexander. Natus Alexander, præclaro nomine Princeps.
Is procul à patria, ſolo pietatis amore,

Per terras, per & indomitas, ſuper æquora, Syrtes,
Perque latrocinijs deſerta infeſta, per omnes,
Quos varios extantlavit, ſine fine, labores,
Sancta Palæſtinæ conſpexit rudera terræ.
Inclita deveneransveſtigia, maximus, olim,
Quæ Chriſtus terris obiens pede contigit Heros.
Inde redux factus, ſublimibus alta columnis,
Ære, ſuis, multo, conſtruxit templa, ſub oris,
Magnifica in claro ceu ſunt ſpectanda Biponto.
Dux hic Alexander Ludovicū nomine dictum, Ludovic Rupertus Alexandri Filii.
Nec non Rupertum præclaros indole Natos,
Illuſtres animas, patriæ inclita culmina gentis,
Protulit, unanimi conjunctos pectore fratres.
Hi veram primi plantarunt Relligionem,
Schvvebelij auſpicio præconis, & ore Iohannis.
(Quæ Chriſto ſoli meritos adſcribit honores,
Non ſanctis olim vivis, jam lumina caſſis)
Sedibus his, & ubi latos Veldentia campos,
Deſpicit, hi primi detecta idola peroſi,
Infandi fraudes abiuravére Papatus.
Ex hoc Ruperto genitore Georgius Heros, Geor: Ioh:
Ingenio excellens Heros, ſatus ille Iohannes,
Prodiit, is claro præſtantes pectore natos,
Nec non egregias natas poſt fata reliquit.
Inter quos primum hic ſeſe gerit ordine, cui nunc Georgius Guſtavus.
Feſtū hoc, & læta hæc celebrantur gaudia, Sponſus.
Cuius frater avi, proavus ſponſæ extitit huius,
Sic genus amborum ſe ſanguine ſcindit ab uno.
Sunt Sponſi egregij fratres, nuptæque Sorores,
Iohannes veré ille animis Auguſtus & ore,
Qui Ludovici, &, habet nomen, nomenq; Philippi,

D 2 Quique

Quique Georgius eſt dictus de Patre Iohannes,
Omnes inſignes forma, & virtutibus omnes.
Gemma velut rutilo magis indita fulget in auro,
Pulcrius in pulcro ſic ſplendet corpore virtus.
Ludovic. Ruperto prior ætate Ludovicus & annis,
Inque Bipontina regnator præfuit urbe.
VVolffgáng A quo VVolffgangus Dux præſtantiſſimus ille,
Ortum habuit, Dux ingenio, Dux pectore notus.
Magnanimo, Neopyrgi amplas qui divitis arces,
Multo acquiſivit precio, ſedique Biponti
Addidit, egregium ditionibus incrementum.
Quæ reliquas ſupra latè ad vada præpetis Iſtri,
Scholæ. Quà ſpatioſum amplo jactat ſe cive Laïngum,
Eſt Schola, quæq; Schola eſt Vogeſi ſub montibus altis
Hornbaci refluæ ad ſtagnantia cornua ripę,
Auſpicio illius tenuerunt Principis ortum.
Namque novem hoſpitio terris accepit in illis,
Accitas Helicone Deas, ſacriſque vacare
Artibus, & teneram ſtudijs formare juventam,
Imperijs dedit ipſe ſuis, magnusque repente,
Emicuit juvenum numerus, quîs dulcia curæ
Dogmata, & æternum cum Muſis quærere nomen.
Fervet opus ſtudijs, hi cœlum ardentibus aſtris,
Conſpicuum, & cœli varios numerare meatus,
Perpetuasque polo, ſemper labentis eodem,
Indagare vias ſolis, lunæque labores,
Diſcere, & ambages cœlo quibus impiger errat,
Mercurius, Veneriſq; vices, quid triſtia Martis,
Sidera, Leucadiiq; ſenis mortalibus ægris,
Portendant, quo ſit cœlum variabile motu?
Aſt nodos alijs malè nexos inque plicatos,

Falli-

Fallibilesque operum tricas, in firmaq; texta,
Solvere cura fuit, rurſumque obnectere fidis
Funibus, & clarè ſub lucem educere verum.
Illecebras alius ſermonis, amænaque verbis
Ornamenta petens, habitu ſe oſtentat opimo,
Liberiorq; vago trahit amplam ſyrmate caudam,
Eloquióq; valens, lætos ceu flumine largo,
Imbuit auditorum animos, & pectora mulcet.
Præcipuè hi Chriſti verbum, & pia dogmata Chriſti,
Addicti magno ſtudijs in honore tenebant.
His humanarum ſub operta enigmata legum,
Excuſſiſſe labor, curamque addicere honeſto.
Abdita naturæ penetralia conſcius alter,
Ingreſſus, varias quocunque in córpore vires,
Herbarumque poteſtates, artemque medendi
Cognovit, ſtudijſque operarum arcana reſolvit.
Quiſq; ſuo vacat officio. ceu floriferum ver,
Aſſiduas exercet apes, cùm dulcia latè,
Pabula comportant pratis, mora nulla, nec ullis,
Ulla quies, cum ſole novo ad ſpatia humida noctis,
Quæq; ſuum molitur opus, procul exulat omnis,
Segnities, dulci implentur cellaria melle.
Mox hinc Palladiæ ceu quondam è robore molis,
Plurima felices traxerunt agmina curſus,
Doctorum juvenum, cordatorumq; virorum,
Qui res egregias Chriſti, verbumq; potentis,
Aſſeruére ſono vocum, & docuére viciſſim,
Egregios, ſuperûm monitus, curamq; ſalutis,
Dogmata, quæ cœli regnum mortalibus addunt.
Vera laborabat Gallorum Eccleſia terris.
Namq; pios Chriſti non Papæ ſcita ſequentes, Expeditio in Galliam

Ipſe fidem contraq; datam, contraq; tenorem
Edicti, heu fatis Rex affligebat acerbis,
Illi igitur tanto ventorum turbine adacti,
Confugere ad opem VVolffgangi Principis huius,
Is cauſam tacito ſecum ſub pectore volvens,
Atque ſtatum gentis preſſæ, miſeratus iniquum,
Nil ſibi, niſq; ſuis parcens, nil ſumtibus ullis,
Innumeras Boreæ procul hinc è finibus, oræ,
Advocat auxilio turmarum, equitumq; cohortes,
Ingentemque manum Germano è milite cogit.
His adeò inſtructus, procul hinc ſe ad Gallica vertit
Limina, perque obſtacula multa, per ardua ſaxa,
Per belli adverſas acies perrumpit, & altè
Ingrediens, magno ſuperat tria flumina niſu,
Flumina, quæ Gallis habet ampla & maxima tellus,
Sic ſtudio, vitaque ſua, ſuo, & ære, ſuoque
Occubitu, vitam innocuis, pacemque redemit,
Namq; ibi flagranti Dux ille eſt febre peremtus,
Mille & quingenti ſexagintaque novemque,
Cùm numerarentur, Chriſti à Natalibus anni,
Qui dein immenſi ventoſa per æquora Ponti,
Perque ſoli varias longis ambagibus oras,
Huc poſtliminio patrias advectus ad urbes,
In Meiſenhemia tumulo, jacet æde ſepultus.
Idem Turcigenas armis quoque fortibus hoſtes,
Magnum iter inſtituens, Hunnorum ingentib. arvis
Pro re Chriſtiadum, pro relligionis honore,
Conſeruiſſe manus ſtetit, & pugnare paratus.
Cæſaris ante oculos, magniq; ante ora Senatus,
Junior ipſe licet contra impia dogmata Papæ,
Eſt Evangelij doctrinam ſponte profeſſus,
Nec

Nec ſe ab ea eſt ullo depelli tempore paſſus.
Hæc, VVolffgange tibi, dant geſta in ſecula famam.
Salve ſinceræ defenſor relligionis,
Sinceræque vale defenſor relligionis.
Cætera quæ ad tanti poſſunt Ducis huius honorem,
Dicier à me, olim juvenili carmine dixi,
Funus cùm patrias ille eſt delatus ad oras.

Egregiam hic ſobolē Princeps à morte reliquit, Filii VVolf. gangi.
Illuſtres quinque Heroas, quorum ipſe Philippus Philip:
Se Ludovicus agens, magnis virtutibus ultro Ludov.
Ante oculos clarà cunctis dat luce videndum.
Pectore, conſilio, factis, ſermone, opibusque,
Manſuetus, prudens, alacer, facundus, opimus.
Cuius ego, quis dignus ovat, non debeo, tantas,
Detererc ipſe meo tam inculto carmine laudes.
Sunt illi æthereo, ſunt, pleni numine vates,
Quà Schola Phœbæi jactat ſe clara Laingi,
Ipſius hi poterunt plectro graviore ſonare,
Ingenij dotes rerum præclaraque geſta.

Nec minus eſt fama celebrandus filius alter, Iohannes
Clara Bipontinis qui ſceptra gubernat in oris,
Sincera perſtans in Relligione Iohannes.
Non per transſennam, aut alieno lumine, rerum
Momenta, aſt proprijs oculis coram omnia cernit.
Nam quia divini callet ſacra Biblia verbi,
Ex illis verum à falſo diſcernere novit.
Doctrinæ idcirco errores eliminat omnes,
Omnes externos in templis tollit abuſus.
Ille Scholis ſumtus atque otia dulcia reddit,
Ille favet doctis, ſacras ornatque Camænas.
Illi onus incumbit prægrandi oneroſius AEthna,

Dum parvo & magno, dum pupillis, viduisque,
Reſponſum placido dignatur ſolvere ab ore.
Auxilium prompta dignatur reddere dextra.
Novit enim, quòd non populus ſit Principis ergo,
Sed populi Princeps quòd ſit datus ipſius ergo.
Vt quæ præcipuè populi ſint commoda quærat.
Nemo de vigilum vigilat grege navius illo.
Nemo laborantumq; laborat ſtrenvius illo.
Nemo è Scribarum numero plus ſcriptitat illo.
Nemo è lectorum numero plus lectitat illo.
Nemo è convivis menſę eſt mage ſobrius illo.
Nemo è Iuſtitiæ eſt patronis juſtior illo.
Nemo è Zeloſis æqui eſt zeloſior illo.
Nemo è manſuetis animi eſt manſuetior illo.
Nemo è doctorum numero prope doctior illo.
Nemo è conſultis jure eſt conſultior illo.
Nemo ex hiſtoricis eſt experientior illo.
Et ſic exemplo populi eſt, ceu nomine Princeps.
Quando erit, ut tandem, quod prima ab origine (gentis,
Stemma Palatinum multo ſudore dediſti,
Confectum, puras edatur liberum ad auras,
Clara tui generis, gemma, illuſtriſſime Princeps?
At tibi (quanquam inter curas, vitamq; moleſtā)
Ipſe Deus, valido ſed corpore, proroget ævum,
Vt patria, ut Chriſti, Germanæ & natio gentis
Plura tui capiant pòſt emolumenta laboris.
Oto Henri: Natus Oto Henricus ſtat tertius ordine, cuius
Imperio Herois paret Sulzbachia tellus.
Non ille aut animo, aut ulli virtute ſecundus.
Frider: Carol. Carolus at natus, natus Fridericus & ille,
Heu fatis vitâ nuper ceſſére, ſeveris.

Carolus

Carolus hic inquit plures à funere natos,
Quorum ævum longos Numē producat in annos,
Divinam is retulit ſublimi in pectore mentem,
Cum Davide omnes ſolitus voce edere Pſalmos,
Haud aliam obvertit faciem, ſeu turbidus Auſter,
Dira fremens quateret pectus, ſeu læta ſerenis,
Panderet aura polum radijs, ac perſtitit idem,
In rebus placidus lætis, animoſus in arctis.
Quattuor his ſuperant vitali luce ſorores
Fratribus, at reliquæ cœlo ſua gaudia ducunt.
Parsque maritata eſt, pars eſt in cælibe vita.
Germana hi, verè Germani, pectora, fratres,
Mutuò habent, dulci & ſe complectuntur amore.
Quales balſamei bene olenti humore liquores,
Cùm ſacros alto perſundunt vertice reges,
Fronte ſuper viridi, formoſa per ora labantes,
Ambroſium latè circum jaculantur odorem:
Talis ubi unanimi junguntur fædere fratres.
Quales Libanio manantes culmine rores,
Deſuper Hermoni in valles de colle Sionis,
Reſiciunt læto naſcentia gramina ſucco,
Vnde virent teneris fragrantes fœtibus agri:
Haud ſecus inter ſe cùm animis concordibus ultro
Heroës coeunt juncti, placidiſque viciſſim
Expediunt operas curis, & fædera ſervant.
Conſilia & ſtudiis ineunt communia fidis.
Vivite concordes ò mundi lumina, reges,

Dicere nunc animus. VVolſgangū fata reſervent,
VVilhelmum incolumem, qui ſeptē regna Trionis,
Inviſit juvenis jamdudum. atque ardua vaſtæ,
Mœnia conſpexit Romæ, jamque Anglica vidit
Littora, Belgarum ſublimè exceptus in oris.
Et iam Gallorum ſiſtit ſe ad limina Regis.
Hunc Deus, illius & conſortes ſanguinis omnes,
Incolumes longos ſervet feliciter annos.

Iohannes liberi. Nec dicā qui ſint quoque pignora cara Iohannis?
Nempe illi egregia præſtantes indole Nati,
Illi excellenti præſtantes pectore Nati.
Quis ſermone prior Gallo, aut ſermone Latino?
Quis prior eloquio, aut doctrinæ laude ſit illis?
Quos reduces nobis quàm primum Gallia mittat,
Incolumes, quo feſta ſuæ celebrare Sororis,
Et poſſint hilarem cum Affine exporgere frontem.
Hoc ſed eos ſi non appellere tempore detur,
Quo ſint cunque loco, felici ſorte fruantur,
Maiori & redeant virtutum fænore tandem.

In laudem Sponſi. Aſt præclara novi celebrabo encomia Sponſi,
Id tamen & parcè, ſat enim cultiſſima virtus,
Spectandam cunctis ſe contemplantibus offert.
Principio Pietas, & Religio inclita, firmam,
Principis in caſto poſuit ſibi pectore ſedem.
Non pedibus ſed mente Deum, ſed pectore adimus.
Proxima Iuſtitiæ cura eſt, & cultus honeſti,
Ac ipſis animi ſententia congrua rebus.
Et morum gravitas, & doctæ gratia linguæ.
Quaque valetudo firmatur, ſobria menſa,
Ac irritatæ moderatio provida mentis.
Ille ſuos placida cives in pace gubernat.

Scitq;

Scitq; datos regni frenos ſibi, ut imperet æquè,
Munificeq;, & ὕβριν v tet, caveatque protervam.
Conſultis tardus, conſulta faceſſere velox.
Avertens patulas aſſentatoribus aures.
Rexque paterq; bonus nullo diſcrimine habentur.
Ille regit populos, amat hic ex pectore natos.
Impia momento durat violentia parvo.
Qui ſtabile imperium magis & d uturnius ullum,
Eſſe putat, vi quod, ſtomachiq; rigore ſeveri,
Quàm placida morum virtute adjungitur ille,
Fallitur, ut noſtra eſt animi ſententia, multùm.
Vna pares homines reddit clementia Divis.
Vos lenes animis generoſi adſueſcite moribus,
Sponte Duces, iram faſtusque arcete ſuperbos.
Si quis Olympiaco victor certamine quondam
Laudis amans ſolito majorem corpore, campis
Eleis poſuit ſtatuam, tunc cenſor Achæus,
Sublimem evertit ſtatuam, faſtumque peroſus
Ventoſum, probri factorem labe notavit:
Sic qui Majores laudes adſcripſerit ulli,
Quàm meruit, famā laudū minuiſſe videri (quis,
Jure poteſt, mea nulla Duci huic, Ducibusq; propin-
Quos modò deſcripſi memorans, præconia vanè,
Muſa dat, exuperat virtutum gloria Muſam.
Ecce autē longa incedens longo ordine pompā, In laudem Sponſæ.
Moribus & formā longè Illuſtriſſima Sponſa,
Ingreditur, quam fulgentes in corpore veſtes,
Ex auro & gemmis reſplendeſcentibus ornant.

Sic ipſam egregiæ virtutes undique mentem,
Inſignem efficiunt, ut vera ſcientia veri
Numinis, & Chriſto manans è pectoris imo,
Niſa fides, ſuplexque piæ devotio mentis.
Et pietas & Relligio ſincera. videres,
Multa recenſentem divino è codice paſſim,
Dictaq; & innumeros memorantē ex ordine Pſal-
Atq; ſuæ fidei rationem ex ore ferentem, (mos.
Tam doctè, tam prudenter, tam deniq; ſanctè,
Vt nemo ex doctis quicquam deſideret ultra,
Immò etiā Angeli ut hoc laudabile dicere poſſent.
Illa verecundis eſt prædita moribus, illi
Tanta Venus linguæ, tam gratia amabilis ore,
Vocis ineſt, tam Suada decens, cultusq; loquelæ:
Omnium ut in ſe oculos præſentum vertat & ora,
Omnium ut abſentum mereatur voce ſonari,
Qui prope, qui longè hanc paſſim rumore ſecundo,
Auribus accipiunt, diverſa per oppida, famam.
Nam quò non penetrat virtutum gloria famâ?
Nil ſpecies externa juvat, nil ſindone corpus
Indutum, niſi mens interno culta decore,
Ipſum ſincero geſtet ſub pectore Chriſtum,
Gaudete ô igitur, Dux feliciſſime Sponſe,
Quæque Duci nubis fortunatiſſima Sponſa.
Tu verò ante alios gaude Dux clare Iohannes.
Hæc eſt illa dies, hæc lux memorabilis. illa eſt,
Quæ venit à Maii decimâ bis quarta ſub auras,
Hæc tibi naſcenti felici ſidere quondam,
AEtherei claras reſeravit luminis oras.
Hæc eadem caræ ſit feliciſſima Natæ,
Virgineos ponenti habitus, thalamumq; petenti.

Et redeat multos fēlix, & læta per annos,
Vt videas dulces circum patria ora nepotes,
Mentem oblectantes ludoq; & voce, ſenilem.
Sintq; tui incolumes fatis felicibus omnes,
Et nati, nataq;, & cætera ſpendida gentis,
Corda Palatinæ, quorum ſub ſoſpite regni,
Salva patrocinio ſemper ſit patria tellus.
Vt nova jam facies terris ſe oſtendit apricis,
Vere novo, quum jam patulis ſe frondibus arbor,
Explicat, & virides pinguntur gramine campi,
Et ſpecioſa comas diffundit amygdalus albas.
Iam roſa, jam ſuavem exhalant nova lilia odorem,
Totius & nulla, hac, pars eſt, formoſior anni,
Totius & nulla, hac, pars eſt, fæcundior anni,
Egregioſq; ſuo producit tempore fructus:
Sic regio veſtra, ô Proceres, Stephani inclita proles,
Floreat æternùm proventibus aucta benignis,
Relligio in primis ſincera, & Relligionis
Sanctus honos, & doctrinæ Confeſſio veræ,
In veſtræ vigeat ſemper ditionibus oræ.
Scilicet hoc caput eſt, & ſumma in principe virtus,
Noſſe Deum, & veros ſubjecta per oppida cultus,
Aſſerere, & caſta populos pietate docere.
Vivimuus idcirco, & cœleſtes carpimus auras,
Luce ſub hac mortale genus: non ut vaga mundi
Commoda, divitias perituraq; gaudia fluxis,
Sectemur gradibus defixi pectora terræ,

Vita ſcopum certè ſed in hunc ſe dirigit unum,
Vt, quæ Chriſte dabis, cœli læta arva ſequamur,
Dulcis ubi requies, ubi meta, modusq; laborum,
Vtq; fide ſtabili te Chriſte, tuumque Parentem,
Ritè prehendamus duce Flamine,& auſpice verbo,
Verbo, cui noſtræ ſunt credita dona ſalutis.
Hos ſibi theſauros, hæc qui ſibi munera verbo
Prodita, vivus adhuc cœli dum veſcitur auris,
Comparat, & verbi arbitrium ſe flectit ad huius,
Spe Chriſto innirens, & firmo pectore adhærens:
Ille pio verè traducit munere vitam.
Hoc facitis Proceres, facite hoc quoq; ritè deinceps.
Iamq; Dei, Proceres, pia cura, Valete, Valete.

F I N I S.